



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

7. De regum virijs, & peccatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



adulantur, voces, cum aiunt ea promissa seruanda, quæ regijs commodis inferunt. Ita Principem seruare fidem debere, vt cum id regia utilitas flagitauerit, eam violare non debeat: Malis moribus implendam ciuitatem, vt quam liberit, vindictam sumere possit: alendas & fouendas inter subditos factiones: & boni publici studiosos è medio tollendos.

Cætera mortalium in hoc statu consilia, quod sibi conducere putant. Principum diuersa fors est, quibus præcipua ad famam dirigenda. Hæ assentatorum sunt voces. Quanta erit Principis auctoritas, si fœdistragus sit, si perfidus, si periurus, si diffidens, si dissimulans? sublata fide, iustitia cum humana societate conuclit. Detestanda duo vitia, videlicet; Nunquam dicere quæ facturus sis. Nunquam efficere, & præstare quæ dixisti.

Septima Regis virtus est Magnificentia, cuius est impensis & sumptibus non parcere. Regum est magnifica templa extruere, cœnobiaz edificare, amplissimis donare redditibus, Academijs publicas erigere, Dei ministros sustentare, pauperum inopiam subleuare, captiuos redimere, viduas & orphanos alere, Hospitales domos communis pietatis gratia construere.

Non est Regum & Principum tempus contere in minimis, vt in mulcis confingendis, quod faciebat Domitianus; in lucernis faciendis, vt Eropus Macedoniz Rex: in simulacris è cera fingendis, vt Valentinianus: in mechanicis fabricandis, vt Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex: in curandis & pascendis accipitribus & canibus venaticis. nec enim debet Rex nimiz venationi se dedere, vt Michridates Rex Ponti, aut otio, ignauia & socordia indulgere, vt Wenceslaus Imperator.

Octaua Regum virtus est, Magnanimitas: cuius proprium est magna & excessi virtutum opera præstare, honore, laude & gloria digna. Nam quamuis virtutis opus non debeat esse honoris & gloriæ studio, quæ minora sunt bona, quam virtus: at ipsa virtutum opera per se sunt digna honore, laude & gloria, quippe quæ virtuti debentur.

#### C A P. VI.

##### De Regum vitijs, & peccatis.

**N**omine Regum in præsentî capite intelligimus, quosuis Principes supremam potestatem in ciuilibus, siue temporalibus rebus habentes. Vitia itidem, & peccata intelligimus non ea, quæ sunt Principum, & priuatorum hominum communia, sed ea quæ sunt propria Principum.

Turpis admodum est in Regibus immodica regnandi libido, nimia dominandi cupiditas. Vnde peccata multa oriuntur, dum Rex inique aliena regna, Principatus & ditiones quærit, vel concupiscit, aut inique parra non restituit, nulla iusta causa ab hoc excusante. *c. Quid culpatur 23. quæst. 1. cap. Si res 14. quæst. 6. Nauarrus in Manuali, ca. 25. numero primo.*

Item cum Rex inique bellum indicit, infert, aut gerit, videlicet absque iusta causa, vel contra, siue præter ius debitum alteri, & tunc secundum conscientiam cogitur ablata restituere, illata damna rescire. *S. Thomas secunda secunda, quæstione 40. articulo 1. Nauarrus in Manuali, cap. 25. numero 6.*

Item, peccat Rex, qui cum alio Rege Christiano dubiam aliquam & antiquam litem, vel controuersiam habens de aliquo Regno, Principatu, vel Ditione, quæ iure extingui non potest, eo quod superiorem non habent: neque bello dirimi, quia sunt æque potentes, & neuter alteri bellum inferre valet sine ingenti detrimento, & scandalo, renuit in arbitros omni suspitione carentes compromittere, aut recusat omnino petere, vel accipere con-

ditiones æquas & iustas, quibus pax reconcilietur, aut confirmetur. *Nauarrus in Manuali, r. 25. n. 4.*

Turpis quoque est in regibus ignauia & socordia, quæ multorum est peccatorum mater. Peccat Rex, qui regni sui arcem muniendam non curat, ita vt inde populus, vel scandalo offendantur, vel occasionem arripiat cõuentioni Principum, vel coniurandi aduersus eum aut rebellandi, aut periculum probabiliter creetur, ne hostis regnum inuadat & occupet. *S. Thomas de Regimine Principum, lib. 2. cap. 11. Nauarrus in Manuali, c. 25. n. 3.*

Peccat itidem Rex, cum ob inertiam, & ignauiam publicas Regni vias non rescit, non munit, non custodit, ita vt viatores graui detrimento & damno afficiantur, *S. Thomas libro citato capitulo. duodacimo, & 15. Nauarrus libro allegato, num. 4.*

Peccat etiam Rex cum pauperibus, viduis, aut alijs personis, quas leges & iura miserabiles appellant, extremam vel grauem necessitatem passis, & ab ipso subsidium petentibus, non subuenit, cum commode possit. Peccat item, cum subditos per socordiam non prohibet ab vlturando alieno, vel à furtis, aut rapinis, adulterijs, homicidijs, periurijs, falsis testimonijs, fraudibus, dolis & iniquis artibus nocendis proximo, & æquitatem & iustitiam violandi, & secundum conscientiam cogitur rescire damna. *Richardus in 4. dist. 15. art. 5. Nauarrus lib. supra cit. n. 8.*

Peccat insuper, cum ita negligenter se gerit, vt nihil curet abolendas populi consuetudines prauas & illicitas, veluti vlturatum, contractuum lege diuina, naturali vel Canonica prohibitorum Ludorum, qui exercentur atque spectaculorum, quæ exhibentur cum probabili animi vel corporis periculo: aut cum nihil curat, si præcia rerum venalium sint iniusta: Si pondera vel mensuræ sint diminutæ, aut minores, quam leges & iura postulant. Si factiones aut seditiones fouerit, aut sedandas non curauerit: Si ob desidiarum eius populus annonæ penuria, vel aliarum rerum necessarium ad victum, caritate laborauerit: Si leges Reipublicæ vitales & salutares non dederit, aut datas, custodiendas nihil curauerit: Si necessaria ad Regiam familiam sustentandam non prouiderit. Si pecunias, & alias res pecuniæ æstimabiles, quibus Regnum defendi & conseruari debet, non parauerit. *Nauarrus in Manuali capitulo 28. numero primo secundo, & tertio: ex Sancto Thoma, & Sancto Antonino.*

Fugienda est Regibus & Principibus prodigalitas: nam regni vires enervantur & debilitantur profusis principum largitionibus: vnde fit, vt vestigalia & tributa à subditis exigantur maiora quam par sit, & debita contrahantur plura, quam æquum sit; grauissimis oneribus populus grauetur. *Nauarrus loco cit. nu. 3.*

Detestabilis est in Regibus iniustitia: Regum enim est suum ius cuique tribuere. Peccant Reges, si tributa iniqua subiectis sibi populis imponant: si antiqua augeant: abique publica Reipublicæ necessitate, & secundum conscientiam restituere debent, quæ ita extorquentur, *capitulo. Milicia, vigesima tertia, quæstio prima.* Peccant itidem, si subditos cogant sibi domos edificare, agros colere, vineas fodere, putare vites, aut alia similia facere non solum illis debita sui laboris mercede. *Sanctus Antoninus par. 3. sit. 3. cap. 4. §. 4. Nauarrus loco cit. nu. 6.*

Peccant, cum leges iniquas condunt, videlicet contra ius diuinum, naturale, vel Canonicum: nimirum, dum Clericos, & Dei ministros vexant, impediunt, aut insectantur: Dum iura vel bona Ecclesiastica sibi arrogant & vlturpant: dum sacris ædibus tamquam profanis vruntur: dum hos vel illos dispensationis priuilegio à lege diuina vel naturali sine iusta & debita causa solunt: Dum non sistant, vt Reipublicæ immunitatibus sibi iure diuino vel naturali concessis gaudeant: dum minis aut importunis precibus, aut per vim vel fraudem compellunt subditos ad donandum sibi bona sua, & secundum conscientiam debent donata restituere: neque enim talis donatio vim & locum habet: nec Reges sunt domini eorum



rum bonorum, quæ subditi iure possident. *Nauarrus loc. cit. num. quinto & sexto.*

Est quoque in Regibus maxime turpis auaritia. Peccant Reges, si leges cendant ad sua tantum commoda priuata; ad superuacaneum vestitum, victum, & vltum, ad pompas, ad conuiuia, ad voluptates, ad venationes immodicas. *Nauarrus li. 2. loc. cit. n. quarto & sexto.* Si pecuniarias multas exigant sui tantum priuati commodi gratia, non boni communis.

Peccant itidem, cum publica Magistratum aut iudicum officia vendunt, aut dant in dotem vel mercedem obsequiorum tam care, aut ijs hominibus, vt probabiliter credant, aut saltem credere debeant male hos officijs viros, aut populum sibi subditum oppressuros. *Authen. vt iudices sine quoquo suffrauant. Authen. de Mandatis Principum, & S. Thomas in Opusc. 21. ad Ducissam Brabantia q. 1. Nauarr. libro citato num. 7.*

Negandum non est, talia officia in bonis & patrimonijs Regum contineri, ac proinde Reges iure possunt ea vendere. Sed certe non id debent, licet enim aliquando aliquid facere, quod tamen non expedit: Cum talia officia venduntur, multa incommoda & damna in Republica sequuntur, vt id ipsa satis per se experientia docet. Panormitanus, & alij *capit. primo & secundo. Ne Pralati vices suas,* communiter docent, huiusmodi lucrum sordidum esse, & lethaliter peccare, qui accipiunt: & Siluester *verbo, Dominium, question. quarta,* vna cum alijs Summistis ait, talia officia vendi quidem posse, sed non expedire. & *Nauarrus libro citato numero septimo* dicit, monendos esse Reges ac Principes, vt lege constituent certum pretium, vltra quod nihil possint accipere Magistratus, iudices, & ceteri Reipublicæ ministri, quod si acceperint, id non faciant res suam. Exstat apud ipsum *Nauarrum Pontificia Constitutio Pij Quinti contra eos qui ambiunt officia iurisdictionem habentia,* his verbis: *Nemini de cetero liceat mediante pecunia, vel solutione, vel traditione, vel promissione aliarum rerum, etiam per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas aliquas dignitates, & officia, executionem & administrationem iurisdictionis habentia, procurare, assequi, & obtinere, ac si quis his presentibus contrauerit quouo modo dici, aut cenere potuerit, ipsum contrahentem eo ipso confiscatione omnium bonorum, degradationis, & amissionis tam priuilegij Doctoratus, quam quorumcumque per eum obtentorum officiorum tam secularium, quam Ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij poenam irremissibiliter incurrere volumus. & infra: Et quod ubicumque, & quando cumque comportum fuerit per interpositam personam aliquas pecunias, seu alias res traditas, seu promissas fuisse alicui Curiali, familiari, vel cuiuscumque alteri persona pro officijs & dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus, is, qui officium huiusmodi obtinuerit, se à promissis attempta interpositione persona, huiusmodi nullatenus excusari queat: quinimo nulla admissa ignorantia excusatione, ipso iure presumatur solutionem & promissionem huiusmodi, de eorum qui dignitates & officia similia obtinuerunt, consensu & mandato penitus esse facta: eisdemque propterea poenæ subiaccere omnino intelligatur. Sic ibi. Peccant itidem Reges, qui Reipublicæ præficiunt ministros, quos sciuerint esse imperitos, vel malos, vel aliquo alio modo indignos, aut cum tales esse rescierint, ab officio non remoueat: cum possent commodè absque vilo periculo & damno: & secundum conscientiam coguntur illata damna rescire. *Scotus in quarto, distinctione decima quinta, questio secunda, articulo quarto. Nauarrus libro prædicto, numero septimo.**

Insuper peccat Rex, qui per se, vel alium condemnat hunc vel illum subditum inaudita causa, aut denegata ex se tuendi & defendendi potestate, aut non habita publica notitia ex publicis in iudicio probationibus. *vt colligitur ex sancto Thoma, secunda secunda questio, sexagesima septima articulo primo, & Caietano in summa, verbo, Homicidium.* Sententia enim, cum sit actio publica, ferenda est, non ex priuata

notitia, sed ex publica in iudicio habita. Item iuris naturalis est, ne quis non auditus, vel non defensus damnetur. *Clement. Pastoralis §. Ceterum, de Sententia, & Re iudicata. Glossa in extrauaganti. 1. de delo & Contumacia.* Quare homicida sunt ij Reges, qui hunc, vel illum subditum non auditi, aut non data facultate se tuendi secundum leges & iura veneno, prodicione, aut alio modo interficere iubent, vel officijs, dignitatibus, honoribus aut alijs quibusuis bonis, quæ non sunt ex numero eorum, quæ ad nuntum tolli possunt, priuant ex sola priuata notitia, non publica: & peccant ministri, qui huiusmodi Principum mandatis obediunt. Sunt enim mandata contra ius diuinum & naturale, in quibus Principi parere non coguntur.

Quid dicendum, si quis fuerit reus mortis ob crimen, cuius est vel infamia, vel vnus testis omni exceptione maior, vel indicia probabilia? Respondeo, tunc Regem ius habere torquendi illum, vt veritatem fateatur, & per sententiam damnetur ad mortem, iure tamen non posse illum statim morte punire.

Quid si fuerit reus mortis ob crimen notorium per euidenciam facti? Respondeo, in ca. *Euidencia de Accusatis sibi haberi: Euidencia patris sceleris non indiget clamore accusatoris.* Notorium igitur crimen non requirit accusationem, aut probationem, *leg. secunda, §. Si publico. ff. De Adulterijs, lege. Nullum, Codicis, de Testibus,* solum sententiam postulat.

Præterea iniquæ sunt Principum leges, quibus statuitur, vt bona eorum, qui naufragium patiuntur, sint filci regij, vel alicuius alterius, neglectis, aut prætermittis dominis. *Nauarrus in Manual. capit. vigesimo septimo, numero 117. Nam l. 1. Codice de Naufragijs, libro vndecimo, sic decernitur: Si quando naufragio nauis expulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, fiscus meus sese non interponat. Quod enim ius habet fiscus in aliena calamitate, vt de re tam luctuosa compendium scietur: Et cap. excommunicationi, de Raptori habetur: Illi etiam qui Christianos naufragium patientes damnata cupiditate spoliant reb. suis, nisi oblati reddiderint, excommunicationi se noverint subiaccere, & in Bulla legi solita in die Cœnæ Dominicæ, Gregorius decimus tertius his verbis excommunicationem tulit: *Anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauis, tempestate in transuersum, ut dicitur, iactatis, naufragium passis, aut etiam submersis sine in ipsis nauibus, sine ex eis dilapsa, & in mari, vel litore inuenta, cuiuscumque generis bonatam in nostra Tyrreni, & Adriatici, quam in quibuscumque alijs cuiuscumque maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut scienter sibi acceperint, aut ab alijs rapta, seu accepta, scienter receperint, ita vt nec etiam ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabile temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.**

De hac excommunicatione *Nauarrus in Manual. cap. 27. n. 60. & 127.* Quid dicendum de statuto Principum, quo decernitur, vt nauis sit filci regij, si in ea post naufragium nihil viuum reperitur? Respondeo, iustum non esse: quia ea nauis licet sit vacua, est tamen eius, qui naufragium passus est. Quid si Princeps statuerit, vt eiusmodi nauis ad fiscum pertineat, si post certum tempus, ad publicam præconis vocem dominus non comparuerit? Respondeo, iure non posse fiscu addici: sed eius pretium pauperibus dari debet in bonum domini, nisi eo indigeat Reipublica.

Peccant etiam Reges lethaliter, qui cogunt aliquem subditum ad certum matrimonium contrahendum, vel impediunt à contrahendo. *S. Antonin. 3. par. t. 3. c. 4. §. 5.* Vnde Synodus Triden. *sess. 24. cap. 9. de Reformat. Matrimonij,* sic constituit: *Præcipit sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant sub excommunicationis poenâ, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directo, vel indirecto subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libera matrimonia contrahant.*



Præterea peccant Reges & Principes, qui ad Sacerdotia, vel Ecclesiastica beneficia, in quibus ius patronatus habent, præsentant eos, qui ætate & scientia, & moribus digni non sunt. *Nauar in Manual. c. 25. n. 8.*

Si quæras, An Regum sit prohibere, vel curare, ne Episcopi ab sint à suis Ecclesijs ultra tempus Canonico iure constitutum, ne item Ecclesiarum bona dissipent: ne decimas fructuum, præterquam consuetas exigant, ne itidem Clerici arma gestent, ne prohibitas merces inuehant, ne ue extrahant, ne frumentum, quod ex suis annis redditibus colligunt, carius vendant, quam sit regia lege taxatum, ne disciplinam Ecclesiasticam infringant, delectant, vel negligant? Respondeo, hæc & alia similia Regum non esse, quia laici in Clericis potestatem & iurisdictionem non habent, vt ostendi prima parte Institutionum Moralium lib. 5. c. 12. Si obijcias, in cap. principes. 23. qu. 5. dici: principes saculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis acceptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Et in cap. Res autem, ibidem: res autem omnes aliter tute esse non possunt, nisi qua ad diuinam confessionem pertinent: & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas, & in c. Regum. ibidem: Regum officium est proprium, sacra iudicium atque iustitiam, & liberare de manu calumniantium. vt oppressos, & peregrinos, pupillisque, & viduis, qui facilius opprimuntur à potestibus præbere auxilium: & c. Administratores. ibidem: Administratores plane saculariū dignitatum, qui ad Ecclesiasticam iurisdictionem, pupillarum, ac viduarum protectionem, rapacitumque refrenationem constituti esse proculdubio debent. Respondeo, ex his capitulis, non colligi, laicos etiā Principes vlla in Clericis iurisdictionem habere. Solum enim in huiusmodi decretis dicitur, Regum esse, tueri Ecclesias, Dei ministros, & Ecclesiasticam disciplinam, nimirum seruato iuris Ordine, possunt corrigere, & punire laicos, in quos videlicet iurisdictionem habent, Clericos non possunt. At possunt monere Romanum Pontificem, vt curet disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis seruari: possunt etiam monere Legatos Apostolicos, & Ecclesiarum Antistites, vt eorum cura & diligentia Clerici in officio & disciplina Ecclesiastica contineantur.

Si item opponas, in multis Regnis Christiani populi esse leges Principum de decimis soluendis, aut non soluendis, & de alijs Ecclesiasticis rebus. Iustinianus quoque Imperator multa constituit de Episcopis, de Clericis, de Monachis, & de Ecclesiarum bonis. Respondeo, ad primum, eas Regum & Principum leges, vel latus esse auctoritate Romani Pontificis: vel non valere, nisi summi Pontificis consensu approbentur, vel confirmentur. Lex enim sine iurisdictione fieri non potest: at laici in Clericos, in Ecclesias, in ecclesiastica bona ius non habent: tametsi tanquam Romani Pontificis ministri, de his statuere queant: tunc enim id faciunt ex potestate sibi à Rom. Pontifice commissa & demandata. Quare leges supradictæ Iustiniani Imperatoris vim & locum non habent, nisi quatenus iure Canonico aut Ecclesiæ auctoritate fuerint approbatæ vel confirmatæ.

Si quæras, An Regum & Principum sit inspectio in sacra tuendi magis, quam cognoscendi causa? Respondeo minime, hæc enim Episcoporum & Sacerdotum est, quibus sacra commissa sunt. Regis est seruato iuris ordine ecclesiarum patrocinium: Rex vt patronus, vt tutor, vel defensor, vim, fraudes, turbas, seditiones malorum hominum ab Ecclesijs arceat, externa pacata & quietam reddat. Sacra Episcopis & sacerdotibus relinquat. Vnde August. tract. 11. in Ioannem: *Pertinet hoc ad Reges saculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam.* Leo primus ad Imperatorem Leonem. *Debes Imperator incunctanter aduerti ere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesie præsidium esse collatam.* Ambros. in Epist. ad Valentin. *Cum enim omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent, Imperatoribus terrarum atque Principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacra fidei militatis. Atque militia primum sacramentum*

*est, tueri salutem, commoda & dignitatem eius cui militamus.* Ita, 49 ait: *Erunt Reges nutritij tui, & Regina nutritices tue.* Iterum: *Edificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.*

Numquid Regum est curatio rerum diuinarum? Quiddam fatentur & probant, quia olim cum apud Gentiles, Regnum & Sacerdotium erant duo munera coniuncta. Diogenis Pythagorici sententia fuit, in rege tria requiri, vt sit belli Dux, Iudex & Sacerdos. De Numa dicit Liuius, *Tum Sacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxima, qua nunc ad Flaminem Dialem pertinent.* Item Augustus Pontificem Maximum imperio iuaxit, & idem secuti sunt cæteri Imperatores, qui simul Imperatores erant, & Summi Pontifices: tum etiam apud Hebræos Dauid Rex sacra curauit & ordinauit, Cantores instituit, Sacerdotes reprehendit, quod humoris suis non impouisset arcam Domini, & benedixit populo in nomine Dei. Salomon abiecit Abiathar, necessest Sacerdos Domini, & posuit pro eo Sadoch Sacerdotem. Iosua duxit populum, & præcipit Leuitis & Sacerdotibus, quando vel arca Domini mouenda esset, vel populus circumcidendus. Dicendum est, in ecclesia Evangelica Christum Dominum diuissime Sacerdotium à Regno. Sacerdotibus commisit curam rerum diuinarum & sacrarum. *Quidquid ligaueris super terram: & reliqua dixit Apostolis.*

Sunt igitur duo munera distincta in Ecclesia: Ecclesiasticum, & Regium: huius est cura ratio rerum ciuiliū, illius rerum diuinarum.

An Rex tuta conscientia possit in regno permittere liberam religionem: hoc est, vt impune quisque colat Deū arbitrato suo? Respondeo, minime, nihil magis animos alligat, quam vnus Dominus, vna fides, vnus baptisma. Ephes. 4. *Solliciti seruare unitatem spiritus in vincolo pacis.* licentia non solum gignit & nutrit dissensiones, sed etiam auget atque confirmat. Iulianus Apostata, teste Ammiano, vt dispositorem roboraret affectum, dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissa, in Palatium intromissos monebat, vt ciuilibus discordijs confopitis, suæ quisque Religioni seruiret intrepidus, quod agebat ideo obstinate. Optatus Mileuita. & Augustin. epist. 166. aiunt de Iuliano: *Et modo putans Christianorum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesie, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.* Nec est, quod obijcias Anastasium Imperatorem, & alios Imperatores Christianos permisisse liberam Religionem. Non admittimus huiusmodi exempla: quia contra, vel præterius id fecerunt: rati eo modo plura & deteriora mala ciuitari: libera Religione impune permessa pax dirimitur, securitas euertitur.

Nec est, quod obijcias apud Paganos liberam esse Religionem vanam, & tamen apud eos pacem seruari. Respondeo, apud eos esse varias inanium Religionum sectas, cum pace, quia non sunt apud eos publicæ conciones, quibus alij aliorum sectas confutent, aut hi vel illi dicant suam sectam esse ad salutem æternam necessariam, & nullum in alia secta saluum esse posse.

An Rex tuta conscientia queat permittere, vt in diuinis, siue in religione aliquid quis innouet? Respondeo, hoc esse munus summi Pontificis, videlicet curare, ne quis in Religione aliquid innouet: ipse est, interpretari declarareque ea, quæ sunt in Religione obscura, ambigua & dubia. Nihilominus Christiani Reges, vt patroni & defensores Ecclesiæ curare debent, vt consulo Romano Pontifice, & admonito atque curato religionis innouatores Ioseph. lib. 11. contra Apionem. Apud Athenienses lex erat, vt eos qui verbum effarentur præter leges, de Deo receptas, sine vlla venia Magistratus punirent. Apud omnes gentes eiusmodi innouatores coerciti & puniti sunt. Apud Græcos Socrates & Pythagoras damnati: Anaxagoras & Aristoteles accusati. Quiores, inquit Liuius libro 39. *patrum auroque ætate negotium Magistratus datum est,*



ut sacra externa fieri viderentur. In Concil. Toleran. 6. sic habetur: *Ut quisquis succederent temporum Regni sortiretur a patre, non ante consideret Regni sedem, quam inter reliqua conditionum Sacramenta polliceretur, non permissurum se degere in Regno suo eum, qui non est Catholicus. Si vero postquam ad regni gubernacula accessisset, huius ipse tamerator existeret promissi, esset anathema Maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum esseret ignis aeterni. Extat in Codice tituli de haereticis, & alijs titulis multae leges contra Arianos, & alios haereticos constitutae, videlicet Constantini Magni, Theodosij Senioris, Arcadij, & Honorij, & Theodosij Junioris. Dion Cassius li. 52. Eos vero, qui in diuinis aliquid inuouant, odio habet, & corce, non Dei solum causa, quem tamen, qui contemnit, nec aliud sane magni quidem fecerit, sed quia noua quaedam numina hi tales introducentes multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde conuersiones, seditiones, conciliabula existant, res profecto minima conducibiles principum. Et de Religione inani, & falsa Deorum loquebatur Dion Cassius. Laetan. li. 5. c. 20. Nihil est in rebus humanis Religione praestantius, eamque summa vi oportet defendi, Et li. 4. Inst. c. vlt. Religio vnica Deo tenenda est: nam hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quod si quis non intrauerit, vel a quo si quis exiuerit, a se ipso & salutis aeternae alienus est.*

## CAP. VII.

## De Principibus.

Primo quaeritur, Quam appellatione Principis intelligatur in iure? Respondeo, cum Glo. in c. Fundamentis. §. Proinde, in verbo Princeps, de elect. in 6. Principem dici eum, qui primum locum habet. Princeps aliquando late sumitur: uti docet Cardinalis in Clem. 1. de Testib. in 2. Notabilia: & tunc Princeps dicitur quilibet, qui primum locum tenet: ita ut ipsi etiam Imperatores, & Reges Principes vocentur, & ut ait Alexander in c. Luxuriosa. §. Ecclesia, dist. 35. etiam ipsi Ecclesiarum Antistites dicuntur principes: Immo viri primarij, quicumque sint illi, principes viri nominantur, id est, primi inter alios. Sumitur etiam Princeps aliquando pro filio primogenito Regis, ac ita Primogenitus Regis Angliae dicitur princeps Valliae, Primogenitus quoque Legionis, & Castellae, Portugalliae, Scotiae nominatur princeps, sicut Primogenitus Regis Franciae vocatur Delphinus, quia eius est Delphinatus. Aliquando vero principes appellantur, qui ciuitatis alicuius vel Prouinciae administrationem habent a Rege, & ita olim Regno Neapolitano ij, qui ab Imperatoribus Graecorum praeficiebantur certis ciuitatibus, vel populis, vocari coeperant more Graecorum: qualis olim fuit Princeps Cupuanus, Princeps Tarentinus, Princeps Salernitanus. Et hinc est, ut in eo Regno sint multi Principes, cum tamen in alijs regnis pauci inueniantur.

Aliquando Principis nomen eum tantum significat, qui supremam habet potestatem in ijs prouincijs, & populis & gentibus, quibus praeficitur Imperator, Rex, Summus Pontifex, Principes vocantur: sic sumitur, cum diximus Principis est, vltimas testatorum voluntates iustis de causis mutare: Principis est, monetam cudere, bellum hostibus indicere, indictum gerere.

Secundo quaeritur, An Princeps sit praerogatiua honoris, & dignitatis maior Duce, Marchione, & Comite? Respondeo, esse maiorem. id docet Paris in tractatu de Re militari. §. An Princeps.

## CAP. VIII.

## De Ducibus.

Primo quaeritur, Quis proprie sit, & nominetur Dux? Respondeo: Duces appellabantur, qui summum in militia imperium obtinebant: qui si commisso praelio victoriam conquebantur, Imperatores conclamatione mili-

tum vocabantur. Vnde Liuius lib. 9. Lat. primum et ordi ar, inquit, a Ducibus comparantur, haud equidem ab uno egrugium ducem fuisse Alexandrum. Sic ille. Interdum autem Dux appellatur, cui pars Imperij ab altero superiore mandata est. Cicero Officiorum tertio: M. Artilius Regulus cum Consul iterum in Africa ex insidijs captus esset Duce Xanthippo. in l. Conuentio. ff. de Pactis. publica conuentio est, quae fit per pacem, quoties inter se duces belli quaedam paciscuntur. Sic a Caesare Duces saepe appellantur, qui Legati ipsius erant, & Imperatore absente summam potestatem habebant: ut Labienus apud Caesarem lib. 6. de Bel. Gallico. cuius haec sunt verba ad milites: Praesate eandem nouis ducibus virtutem, quam sapienter Imperatori praestistis. Atqui hi nonnunquam Consularibus insignibus utebantur, & poterant dimitti ab Imperatore ignominiae causa, ut scribit Vlpian. l. 2. ff. De his qui notantur infamia. Tacitus de Moribus Germanorum. Reges, inquit, ex Nobilitate, Duces ex virtute sumunt: nec Regibus infamia, aut libera potestas: & Duces exemplo potius, quam Imperio: si prompti si conspici, si aucte aciem agant, admiratione praesunt.

Aliquando Duces dicebantur, qui summum quidem Imperium obtinebant. Comites vero ij, quibus Imperij pars mandata erat. Cicero in Oratione pro Marcello: Huius autem rei, inquit, Caesarem alloquens, tu idem Dux es & Comes. Postea vero Duces dicti sunt, quibus Rex, aut populus Regionis alicuius administrandae potestatem dedit. Saxo libr. 3. Qualibet prouincia Theutonica terra suum habet Palatinum, Saxonia, Bauaria, Franconia, & Saxonia, quae antequam a Romanis superarentur, regna fuerunt, a quibus ipsa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Caroli Magni tempore Duces dicebantur, quibus duodecim Comites suberant. Theodolphus in Anno 849. Tassalonem, inquit, in Ducatu Baiuorum collocavit, per summum beneficium: Gryphonem vero partibus Neustriae misit, & dedit ei duodecim Comitatus. Eum locum imitatus Aimonius lib. 4. c. 61. Tassalonem, ait, in Ducatum restituit. Gryphonem vero more Ducum, duodecim Comitatus donauit. Duces itaque sunt Regionis vel Prouinciae praefecti, siue praesides. Greg. Turon. lib. 9. c. 7. Cum Ducatum urbium Thronicae, atque Picauji administrauit: ad huc, & Vici Iulienis atque Bernardae urbium Principatum accepit. In lib. Feudorum, tit. Quis dicitur Dux, Marchio, Comes c. 1. legitur: Qui a principe de Ducatu aliquo inuestitus est, Dux solito more vocatur. Duces olim apud Romanos dicebantur hoc nomine militum duces: at vero ab Imperatoribus Romanis, praesertim a Carolo Magno, & posteris, qui deinceps sunt consecuti, Ducatus nomine, dignitas regalis est, quae a Rege, siue Imperatore conceditur, appellati ceperit.

Secundo quaeritur, Quanta sit Ducum antiquitas, & quae origo eorum prima? Respondent quidam Blondum secuti in descriptione Marchiae Taruinae, Longobardos Reges fuisse primos, qui Ducum dignitatem, & titulum in Italiam introduxerunt: Vnde postea in ipso Romano imperio remansit, & inde ad alia Christianorum Principum regna manauit. Sed ex historijs constat Narsetem, qui post Belisarium a Iustiniano Imperatore missus est in Italiam, uti eam administraret, se vocasse Ducem Italiae, ut ex Sigonio patet lib. 1. de Regno Italiae.

Et deinde Longinus, qui fuit primus Exarchus ab Imperatore Constantinopolitano missus, ut eam Italiae partem, quae Imperatori parebat, gubernaret, non se Ducem, sed Exarchum appellauit, instar eius, qui toti Africae Imperatori iubeat praerant, & Exarchus Africae dicebatur. Et cum Longinus sedem suam Rauenae, non Romae locasset, prouinciarum, ut Sigonius ait, Consularibus, Correctionibus, Praesidibusque sublati singulis ciuitatibus singulos Duces imposuit, & varios eis ad reddenda iura Iudices assignauit, misitque Romam praefectum, qui Verbum administraret: & hunc vocauit Ducem Romanorum, & inde tota ea pars, quae huic Duci patebat, dici coepit Ducatus Romanus, ita vt ex eo tempore, monetur etiam genus quoddam Ducatus dictum fir Ducatus Ro-